



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 5. De Scordiscis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

filio, ut vult *Appianus*. Hic cum Celtis (quos Cimbroſ vocat idem *Appianus*) ad Delphos caſtra poſuerunt, ſed inde procellis repulſi in patriam ſuam rediere, ubi tanta ranarum viſ exorta, ut flumina computreſcerent; neque tantum, ſed extitere ex terrâ peſtiferi vapores quibus peſtis in Illyrico excitata eos potiffimum afflixit. Quare ex patriâ profugere coacti ſunt, & à nullo recepti, occupauere paluſtrem regionem prope Baſtarnas, ibique vrbes condidere. *Strabo lib. 7.* ait cum Ardiais ſape de ſale pugnaffe, quo fruebantur alternis vicibus: ſed cum iidem Autariotæ Triballos domuiſſent ſupra alios Illyrios & Thracas extuliſſe caput; verum à Scordifcis exutos eſſe potentiâ, & utroſque à Romanis fuiſſe debellatos.

N V M. 5. *De Scordifcis.*

Sic dictos eſſe *Appianus* innuit à Scordifco filio Autarij, niſi malis à monte Scordo, vel Scodro ſic appellatos; *Strabo* tamen ſignificat illos Gallos eſſe origine; neque alij videtur à Gallis qui ad Adriam incolentes venere ad Alexandrum, nihil metuentes præter cæli ruinam. Certè *Iuſtinus lib. 32* ait partem Comitum Brenni, qui Delphicum templum obfederant, repulſam veniſſe ad confluentem in Danubium Sabum, hîc ſe vocari Scordifcos voluiſſe. Magnæ olim fuerunt auctoritatis, & Triballos ad Getas fugere compulerunt. Vidimus & ſuprà Autariotas ab iis domitos: immo & eò virium increuiſſe, ut uſque ad Illyriorum, Pannonum & Thraciæ fines Imperium ſuum protenderent. Nihilominus aſſerit *Strabo* à Dacis accepiffiſſe cladem, & Scordifcos quidem planè debellatos, Gallos autem eis permixtos ſeruatos eſſe, ſociosque ſe Dacis præbuiſſe. Tandem cum Scordifci iuncti Dardanis, & Medis in Macedoniam irrupiſſent, & Delphicum inuaſiſſent templum, bello petiti ſunt à Ro. Duce Lucio Scipione, à quibus Scordifci fermè deleti, quoniam à finitimis deſerti ſunt qui venerant in prædæ communionem. Et tunc reliquiæ eorum ad Inſulas Iſtri profugerunt: poſtmodum tamen ad Pæones redierunt, ideo inter Pæones Scordifcorum adhuc genus eſt. Vnde in duas ſedes discreti ab eodem *Strabone* dicuntur, & alij habitaffe feruntur inter duos amnes in Iſtrum influentes Noarum, qui præter Segesticam fertur, & Martum, ſeu Bargum; alij verò Myſis, & Triballis confines fuiſſe perhibentur.

N V M.